

fordert Quirini ihn einleitend von neuem auf, nächstens sein Urteil abzugeben über seine im vorigen Briefe erwähnten Kontroversen. Im Anschlusse an die ihm vom Kästner ebenfalls übersandte Schrift von Christian Lesser *De poetis Latinis biblicis* teilt er sodann lateinische poetische Psalmenparaphrasen mit und handelt über verschiedene neulatinische Dichter.<sup>1)</sup>

## De Perceptione mentali et de Judicio.

### Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B., mon. Montserratensis.

(Conclusio. Vide Heft I. 1903, S. 1—18.)

c) Plus dicam: omnis veritas percipiendi cognoscitur; quid enim aliud est cognoscere quam percipere? Et quanto simpliciori modo multa percipiuntur, tanto est modus cognoscendi perfectior: ideo sane perfectiori modo quam creaturam intelligit Deus, qui uno perceptionis actu cognoscit universa. Et quidem percipiendi cognoscimus, sive cum veritatem vel essentiam rei possibilis mente contemplantur; sive mente intueamur veritatem facti vel realis existentiae, quae per sensus vel conscientiam nobis innotescit; sive denique habitu praedicati ad subjectum in iudicio aut nobis per se pateat, aut demonstratur per discursum, iudicii namque veritatem cognoscimus, non quum terminos comparamus, sed quum facta comparatione habitudinem inter eos perspicimus. Nec tamen inde infertur non posse iudicium esse erroneum, eo quod cognitio veritatis ejus in perceptione habitudinis inter terminos sita sit. Equidem verum est quidquid vere percipitur; si enim non cognoscitur id quod res est, jam res ipsa percepta dici nequit: sed quamvis dari non potest iudicium vel comparatio terminorum sine perceptione eorum, contingere tamen potest, et saepe quidem contingit, ut vera terminorum inter se habitu non percipiatur, et nihilominus ex animi levitate aut inordinata affectione percepta existimetur; et sic iudicium evadit erroneum. Et ideo omnis error est voluntarius, quia sola evidentia rei perceptae perceptionis ejus parit certitudinem. Porro si perceptis terminis perciperetur semper eorum inter se habitudo, omne

<sup>1)</sup> Nur kurz erwähnt sei noch die Korrespondenz mit zwei anderen Leipziger Professoren, in welcher konfessionelle Differenzpunkte nicht erwähnt werden, mit dem bekannten Johann Christoph Gottsched und dem Juristen Johann Jakob Mascov. Von Gottsched enthält das »Specimen Humanitatis« einen Brief vom 17. März 1748 (bei Coleti S. 470 f.), in welchem er den Kardinal bittet, ihm durch in Rom lebende Deutsche genauere Beschreibungen der in der Vaticanischen Bibliothek vorhandenen altdeutschen Handschriften herstellen zu lassen. Ein Brief Quirinis an Mascov vom 31. Mai 1753 (Epist. 84 ed. Coleti, S. 601 f.) behandelt ebenfalls nur literarische Fragen.

judicium esset evidētiaē immediatāe. Et ita quidem contingeret, si in perceptione cujuslibet rei cognosceretur quidquid de ea cognosci potest: sed cognoscendo rem ex parte tantum in perceptione terminorum, locus est errori in iudicio circa habitudinem inter eos. In cognitione etiam experimentali contingit ut vera sit quoad aliquid perceptio alicujus rei, et nihilominus quoad aliud falsum sit iudicium circa eam, ut si aurum esse existimo, rei colore deceptus, corpus aliquid quod aurum non est. — Cardinalis Zigliara, contendens in sua Summa Philosophica (Criticae lib. 1, art. 1) veritatem logicam per simplicem apprehensionem a mente utique haberi, sed imperfecto modo, hanc sibi proponit solvendam objectionem: — Dices: Deus omnia cognoscit, non iudicio, sed simplici intelligentia; et tamen perfectissimam habet rerum omnium veritatem. Ecceur ergo in nobis simplici apprehensionem veritas perfecto modo inesse nequit? Respondeo nos denegare simplici apprehensionem perfectam rationem veritatis, non qua cognitio est, sed qua in nobis cognitio imperfecta est. In Deo autem simplex intuitus dicit absolutissimam et perfectissimam cognitionem. — Hac autem responsione, ut ego arbitror, rem minime conficit. Ratio propter quam denegat simplici apprehensionem perfectam rationem veritatis, haec est, quia in nobis simplex apprehensio est cognitio imperfecta; imperfectam autem ibi dicit hanc cognitionem, non respectu ejus quod apprehenditur, (non qua cognitio est) sed secundum quod ipsa augenda est per iudicium, id est, secundum quod notioni subjecti propositionis notio praedicati adjungitur, quatenus, ut ipse ait in paragrapho qui objectionem transcriptam immediate praecedit, cum apprehendendo quid sit res, non ex hoc ipso quae rei insunt intelligamus, sed divisim et successive, necesse est ut quae seorsum per simplicem apprehensionem intelligimus, in unum compositum logicum redigamus, quod fit per iudicium. Sed haec ratio aequae valet pro asserenda imperfectione cognitionis in iudicio; quia quae cuilibet rei insunt, non in uno, sed in multis cognoscimus iudiciis, et proinde cognitio alicujus rei uno iudicio contenta, imperfecta est comparate ad aliud iudicium quod de eadem re concipi potest. Dicens ergo Zigliara quod veritas logica per simplicem apprehensionem a mente utique habetur, sed imperfecto modo, cognitionem rei confundit cum cognitione uniuscujusque ex veritatibus quae ad rem pertinent: nam etsi cognitio rei est imperfecta, si non cognoscantur omnia quae ad rem spectant, at non est imperfecta vel inchoata respectu ejus quod vere cognoscitur, quia cognoscere aliquid vel non cognoscere est quid indivisibile, non admittit magis et minus. Non ergo dicenda est cognitio imperfecta simplex perceptio rei, eo quod augeatur per iudicium, nisi imperfecta quoque dicatur cognitio per iudicium, cum

similiter possit augeri per aliud iudicium: si enim in hoc sensu intelligatur imperfectio simplicis perceptionis, stat assertio nostra, quod scilicet non obstante tali imperfectione simplex perceptio non est cognitio inchoata, sed perfecta veritatis, respectu ejus videlicet quod vere percipitur. — Nequaquam vero in tali sensu accipitur imperfectio simplicis perceptionis, dum haec dicitur cognitio veritatis inchoata, sed per comparisonem ad iudicium, in quo sita esse dicitur cognitio perfecta, respectu nimirum illius quod cognoscitur. Sic autem acceptam simplicis perceptionis imperfectiorem inculcat S. Thomas dicens: (Part. 1, Qu. XVI, Art. II) „Verum, sicut dictum est (artic. praeced.) secundum sui primam rationem est in intellectu. Cum autem omnis res sit vera secundum quod habet propriam formam naturae suae, necesse est quod intellectus, in quantum est cognoscens, sit verus in quantum habet similitudinem rei cognitae, quae est forma ejus in quantum est cognoscens. Et propter hoc per conformitatem intellectus et rei veritas definitur. Vnde conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit. Licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparisonem quae est inter rem visam et id quod ipse apprehendit de ea. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest: sed tamen non apprehendit eam secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est. Sed quando iudicat rem ita se habere sicut est forma quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum. Et hoc facit componendo et dividendo. Nam in omni propositione aliquam formam significatam per praedicatum vel applicat alicui rei significatae per subjectum, vel removet ab ea. Et ideo bene invenitur quod sensus est verus de aliqua re, vel intellectus cognoscendo quod quid est, sed non quod cognoscat aut dicat verum. Et similiter est de vocibus incomplexis. Veritas igitur potest esse in sensu vel in intellectu cognoscente quod quid est, ut in quadam re vera, non autem ut cognitum in cognoscente; quod importat nomen veri. Perfectio enim intellectus est verum ut cognitum. Et ideo proprie loquendo veritas est in intellectu componente et dividente, non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est.“ Ego autem dico: in tantum intellectus possidet veritatem in quantum certus est talem in se esse rem intellectam qualem ipse intelligit. Vnde veritatis possessio per intellectum duo importat: objecti nempe cognitionem, et certitudinem cognitionis verae, quam certitudinem significat affirmatio iudicii vel propositionis. Per hanc porro certitudinem, quae ex evidentia cognitionis nascitur, veritas perfecte possidetur. Atqui ad evidentiam cognitionis, et consequenter ad certitudinem cognitionis verae, sufficit objecti apprehensio in lumine congruo; cognitio autem conformitatis intellectus et rei

non modo non requiritur, sed est impossibilis, quia est actus reflexus, qui veritatis possessionem praesupponit in actu cognitionis directo. Cardinalis Cajetanus, agnoscens conformitatem illam terminum cognitionis esse non posse, docet cognitionem ipsius conformitatis, juxta mentem S. Thomae, non esse intelligendam in actu signato, sed in actu exercito, in eo nempe sensu, quod actus cognitionis non terminetur ad relationem conformitatis, sed dumtaxat judicet intellectus rem talem esse in se qualem ipse intelligit. „Cognoscere conformitatem in actu signato, inquit Cajetanus, est cognitionem terminari ad relationem conformitatis; cognoscere vero conformitatem in actu exercito est cognoscere aliquid in se ut conforme cognito.“ (Ed. P. fol. 72, col. 3). Sed non advertit Cajetanus quod in manifestam incurrit contradictionem: vult enim ex una parte conformitatem illam cognosci, ex alia vero non esse terminum cognitionis: nescio plane quod possit dari cognitio sine termino. Mens S. Thomae in citato articulo haec est, quod ad hoc ut intellectus possideat veritatem, non sufficit simplex perceptio rei, sed requiritur actus judicii, seu novus actus cognitionis; et de actu isto pronuntiat: — conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem. — Ergo juxta mentem S. Thomae conformitas ipsa est vere cognitionis terminus, siquidem actus cognoscitivus requiritur qui illam habeat pro objecto. Quod vere habetur in actu exercito, quin videlicet novus addatur cognitionis actus, certitudo est, quae aliud non est nisi effectus formalis clarae perceptionis objecti. Si res clare percipitur, quid amplius necesse est ad veritatis possessionem? Quare enim intellectus quiescit seu certus est ex perceptionis evidentia, nisi quia veritatem est assecutus? Certus utique est de veritate ejus quod evidenter cognoscit; cognoscit autem id quod est objectum cognitionis, non cognitionem ipsam; unde certus est de veritate rei cognitae, non autem de veritate cognitionis, seu de praefata conformitate, per se, sed consequenter tantum a possessione veritatis rei cognitae; quatenus nempe suum jam evidenter assecutus objectum, in cognitione sua quiescit securus. — Quod non cognoscitur veritas rei per hoc tantummodo quod aliquid repraesentetur animo, libenter concedo; nam etiam in cognitione sensitiva habetur repraesentatio rei cognitae, et tamen veritas in illa non cognoscitur. Sed rursus contendo quod simplex perceptio mentis non est perceptioni sensitivae equiparanda, quae tantum distat a mentali quantum sensatio ab intellectione; nam actus mentis est intelligere, et ideo mens in simplici perceptione cognoscit quod quid est, quod de sensu dici nequit. Quid autem est, non solam advertere objecti praesentiam sed cognoscere etiam quidditatem ejus, nisi cognoscere veritatem rei? Deficiente ergo paritate quam S. Thomas inducit, inter sensum et intellectum dicens: „Veritas igitur

potest esse in sensu vel in intellectu cognoscente quod quid est, ut in quadam re vera<sup>4</sup>, omni vi caret ex hac parte argumentum suum. Videamus autem an alio ex capite habeat argumentum suum efficaciam ad concludendum. Intellectus, ait S. Doctor, cognoscit et dicit verum componendo et dividendo, id est, judicando: et rationem adducit dicens: „Nam in omni propositione aliquam formam significatam per praedicatum vel applicat alicui rei significatae per subjectum, vel removet ab ea.“ Et propter hoc simplicem mentis perceptionem comparat S. Doctor vocibus incomplexis, sicut iudicium propositioni: et quoniam cognitio veritatis per propositionem exprimitur, non per vocem incomplexam, ideo veritatis cognitionem non in simplici perceptione, sed in iudicio reponit. Equidem certum est veritatis cognitionem non per vocem incomplexam, sed per propositionem enuntiari; sed inde non sequitur quod in conceptu quem vox incomplexa repraesentat, non sit cognitio veritatis. Propositio enim significat utique cognitionem illius veritatis quam loquens significare intendit; alias autem potest loquens cognoscere circa rem eandem veritates quae per determinatam propositionem non exprimuntur, et quarum tamen cognitio in conceptu subjecti ejusdem propositionis includitur. Vnde cum munus termini in propositione non sit cognitionem veritatis exprimere, sed simpliciter res quae ad invicem comparantur, significare, ex eo quod vox incomplexa non sufficit ad veritatem enuntiandam, non licet inferre quod in conceptu mentali quem vox incomplexa repraesentat, non sit cognitio veritatis: ideo namque omittitur hujus cognitionis expressio quia per determinatam propositionem non cognitionem istam, sed cognitionem habitudinis praedicati ad subjectum loquens significare intendit; et proinde cum loquenti placuerit, quot sint veritates in conceptu subjecti propositionis implicitae, in totidem ipse conceptus poterit propositiones resolvere. Si dicam v. g. — homo indiget societate, — in tantum hanc indigentiam de subjecto homo affirmo, in quantum alias multas veritates de eodem cognosco, quae in ejusdem subjecti conceptu profecto includuntur, sed in hac propositione non enuntiantur, quoniam enuntiatio ejus non habet pro objecto nisi praefatam indigentiam. Quamvis ergo per solum vocabulum homo nihil enuntio, conceptus tamen quem de homine habeo, seu mea perceptio ejus quod est homo, aequivalet multis enuntiationibus, id est, veritatum illarum cognitioni in quibus affirmatio indigentiae fundatur; non enim hominem societate indigentem pronuntiarem, si in conceptu hominis veritates illas perspectas non haberem. Non enim sine causa hanc indigentiam affirmo, sed quia hominem sine societate et vitae suae sustentandae, et perfectioni suae sive physicae sive intellectuali sive morali assequendae impari esse agnosco. Quid est autem has causas cognoscere nisi multas

cognoscere veritates? Si ergo in perceptione ejus quod est homo, cognitio harum causarum vel veritatum includitur, nonne talis perceptio judiciis aequivalet multis? Itaque non est comparanda vox incomplexa perceptioni mentali; nam perceptio mentalis est cognitio veritatis, cognitio autem veritatis non per vocem incomplexam, sed per propositionem exprimitur. Vox incomplexa seu propositionis terminus significat utique exterius id quod in conceptu repraesentatur interius; sed repraesentare, quod relatio similitudinis est, cum percipere, quod est actus cognitionis, confundere non licet.

d) Si ergo cognitio veritatis et perceptio est et per propositionem exprimitur, concludendum est, quod iudicium, quatenus veritatis cognitionem importat, a perceptione non distinguitur; si autem accipiat ut aliquid a perceptione distinctum, non est actus cognitionis veritatis, sed actus locutionis quo cognitio veritatis affirmatur, id est, propositio, quae est expressio cognitae a mente veritatis. Per simplicem perceptionem, absque comparatione terminorum, cognosco v. g. existentiam determinati hominis; et nihilominus veritas existentiae ejus, quam simplici intuitu mens apprehendit, propositione enuntiatur dicendo: — hic homo est existens, — per quam certa veritatis ejusdem cognitio exprimitur. Similiter rerum essentiae, quamvis perceptione simplici continetur notitia earum, per propositionem tamen seu definitionem exponuntur, ut si dicam: — homo est animal rationale. — Idem dicendum est de judiciis omnibus evidentiae immediatae, in quibus habitudinem praedicati ad subjectum enuntiare non est aliud nisi praeconceptam subjecti notionem in duos conceptus resolvere, et proinde iudicii veritas perceptione subjecti continetur. Et quoniam ab his judiciis alia quae sunt mediatae evidentiae, non differunt nisi secundum ratiocinium quo iudicii veritas detegitur; cognitio autem veritatis iudicii non in ratiocinio seu terminorum comparatione consistit, sed in ratiocinii fructu, qui est perceptio habitudinis inter terminos; hinc de judiciis istis mediatae evidentiae idem quod de reliquis omnibus tenendum est quoad id de quo modo agimus; secundum hoc enim iudicia ista, perspecta post ratiocinium habitudine inter terminos, ejusdem conditionis evadunt atque iudicia evidentiae immediatae, siquidem ratiocinio non est opus nisi ut nobis constet praedicatum propositionis aut negationem ejus notione subjecti contineri. Si ergo nomine iudicii non perceptio aliqua, sed habitudinis terminorum affirmatio intelligatur, veritas logica non est in iudicio, quia cognoscere veritatem non est nisi rei alicujus quidditatem percipere, siquidem verum est quod quid est. Iudicii autem affirmatio actus externus est, non mentalis; et per eum certitudo cognitionis significatur. Quid enim significamus dum dicimus: — mihi quidem videtur rem ita se habere vel

talem esse; affirmare tamen istud non audeo; — quid, inquam, hoc sibi vult, nisi — certitudinem non habeo? — Et re quidem vera, in actu mentali praeter claram rei cognitionem seu perceptionem, et certitudinem ex ea consequentem nihil aliud est requirendum ut mens veritatem plene possideat; siquidem intellectus non aliter veritatem possidet quam per actum sibi proprium qui est intelligere, et in quo perfectio ejus consistit; et ideo quidquid intellectioni rei superaddatur, ad intellectus operationem non pertinet, quoniam re quae intellectionis est objectum, clare percepta, jam intellectus operatio est consummata. Aliunde autem, si veritas est id quod res est, quid erit cognoscere veritatem, si non est rem clare percipere, id est, intelligere? Accedit quod actus quo veritas cognoscitur, debet terminari ad rem quae est intellectionis objectum; talis autem actus est intellectio ipsa seu perceptio, non affirmatio, quae licet habeat pro materia objectum ipsum intellectionis, verum in illud non terminatur, sed est expressio certitudinis, et ad personam quam alloquimur, dirigitur: quum autem videmur interius imitari actum affirmationis externum, tunc aut internum cognitionis actum per reflexionem inspicimus et ipsam quasi intuemur evidentiam; aut actum externum in imaginatione repraesentatum per mentem ratum habemus. Actus autem internus clarae cognitioni rei superadditus tamquam necessarius ad veritatis possessionem, qui se habeat per modum quasi motus vel inclinationis, sicuti quum caput inclinamus propositioni alicui vel sententiae annuentes, non solum supervacaneus est, uti ostendimus, quoniam veritas possidetur a mente per claram rei cognitionem quae secum fert certitudinem; sed a natura quoque mentis est prorsus alienus, quae objecto suo adhaeret, non per motum aut inclinationem, sed per actum perceptionis quo illud apprehendit. Adest in hac re, ut ego reor, hallucinationis periculum, quatenus in analysi actuum internorum confundi potest id quod mens agit cum eo quod de actu affirmationis externo imaginatio repraesentat, seu possibile est ut falso attribuatur actui mentis veritatem possidentis id quod imaginatio repraesentat de actu affirmationis externo, qui est expressio cognitae a mente veritatis. Sciendum est enim quod licet dari nequeat signum externum rei cognitae, nisi ipsa sit etiam in mente, ex actu tamen affirmationis externo non sequitur existentia consimilis actus in mente, ita ut duplex sit mentis actus in possessione veritatis, rei nimirum cognitio et veritatis affirmatio; sed in unico intellectus actu invenitur quidquid per actum externum seu per propositionem significatur, rei videlicet cognitio, et certitudo, quae clarae cognitionis effectus est, et cujus signum et expressio actus est affirmationis externus.

---